

Oratio Nicolai de pax  
Barricij Maioricē  
sis Compluti  
habita.

X

*Handwritten signature or name in cursive script, possibly "Nicolai de pax".*

*Handwritten signature or name in cursive script, possibly "de pax".*



**Nicolaus de pax perquā reuerēdis ac**  
magnificis dominis. D. Decano & Capitulo pōtīficalis Ecclesiæ Ma  
ioricēsis manuum oscula.



Vum me tandū filuissē pūderet/eximīi Patres: nō  
sum ausus ante conspectū dñationis. V. sine aliquo  
seruītio apparere. Oratiōē de hispaniæ n̄æ laudī  
bus offero: quā in hac celebri vniuersitate paucis  
antehac mēsis habui. Et quāquā litteratissimo  
cætuī profanū balearē cordi fuisse audio: eam tamē  
vulgare timuissē: nisi Antonio Nebrissensī non  
displicuissē recolerē. Sed nolim existimari: me negocio tantillo inso  
lescere. Paulo maiora fortasse mens agit. Quinque ita foret: vt pru  
dentissimæ commendationis vestræ suffragia cuperem: esset laudis  
amor/virtutis inītiū: sicut sapientiæ/timor domini. Quippe lau  
dabilem moderata gloriæ cupiditas aut inuenit aut facit. Nisi. n. rex  
Alexander fauisset Aristoteli/nisi Vergilio Mecenas/vtq; alios præ  
termittam: nisi Antonio Nebrissensī latinæ linguæ instauratori cla  
rissimo Rex & Regina catholici humanissime aspiraissent: forsan il  
lorum ingenia/tametsi viuida/ fauoris imbre destituta marcuissent.  
Qui autem generoso natus est animo: si gloriā virtutis futurā sense  
rit: præclara meditatū/elaborat grandia/& magno viro digna cona  
tur. Nihil illi tam difficile: quod nominis ingenua desyderia non su  
perent. Hęc præmissa volui: vt dominatio. V. meminērit: quantū sit  
penes vos Patres colendissimos/ beneficentia. V. fauore/ pollicitis/  
& exhortatione cordatissima istius regni Balearis ingenia ad virtu  
tes & litteras animare. Compluti/ Anno domini. 1521.

**Argumentum sequentis Orationis.**

Secundo quoq; anno in hac Complutensi vniuersitate creatur licētiati in  
sacra theologia p mēsem Nouēbrē. Anno igit dñi. 1520. pridie q̄ licentię ce  
lebraretur/post meridiē/nobili magistrorū & scholarū ducto comitatu & præ  
cedētibus sambucis/tympanis/multisq; id gen⁹/ex edib⁹ dñi Cancellarij per  
mediā Complutū ad aulā theologię paranymphus (.i. orator) purpurat⁹ acces  
si. Principio hispanię laudes carptim & p tēporis breuitate discurre. Quib⁹  
pauca de. Rmo. dño n̄o Cardinali/de Collegio/ac de ipsoꝝ q̄tuor licētiādo  
rum cōi laude subiēci. Deinde iuxta antiq̄tatē bachallariatuū ad. S. Sotanu  
me cōverti. Tradidi chirographū. Respōdit mibi elegātī orōne: vt ceteri. Ho  
uissimē reliq; viritim alloquor pari serie seruata. Orationes vero ipsoꝝ  
licentiandorū his meis non interposui: quia illis nimium commendabar.



# Oratio Nicolai de pax patri

cii Maioricensis ad insignem Vniuersitatem Complutensem habitus/ quando paranyphi (vt appellatur) munere functus est. Anno domini. 1520.



In inter orbis terrarum prouincias versetur de principatu contentio/ senatus amplissime/ singulis bona sua praedicantibus/ difficulter poterit difficilis altercatio terminari. Quaedam enim nationes gentis suae vetustate gloriantur/ aliae bellaces animos iactant/ aliae robusta corpora/ pars gentis industriam/ pars ostentat imperii latitudinem. Quidam populi feracibus terris/ alii metallorum freti opulentia/ praestare sese aliis opinantur. Postremo illa fortasse regio praeferrī debere putabitur/ quae in eo/ quod est in terris optimum/ antecellit: quae scilicet praeceteris vbertatem soli/ aerisque temperiem sortita: producit homines & corporis & animi vigore praestantissimos. Sed quoniam inter praecelara caeli mundi que ornamenta nihil homine studioso dignius: nihil praeterea vilius iniquo natura sustinet: non est satis ad prouinciae maiestatem: si homines suos faciat naturae muneribus abundare. Nihil enim aut parum admodum illa profutura sunt: nisi assiduo vsu atque industria excolantur. Quippe quantum natura nostra: siue difficilis siue benigna sit: artis ope indigeat: nata ex inertia & ocio danna monstrarunt. Quamdiu emula Romani imperii Carthago punica floruit: Romana inuentus militiae labore durata: senatus vero rebus vndique prouidendis agitatus: nihil tam arduum cogitabant: quod non auderent interriti: nihil audebant: quod facile non assequerentur. Ita exiguus populus primum ex gente vaga & pastoribus adunatus: industriae magis: quam fortunae praesidio totum orbem domuisse coepertus est. Postea vero: quam triumphatis hostibus ac pacato vbiq; imperio quiescere Romani: desidia & luxu in omne vitiorum dedecus soluti sunt. Mox enim dominationis ac pecuniae siti imbuta pectora: mirabile dictu est: quam facile putruerunt. Tandem quasi mutuo contagio corrupti mores ciuitatis eneruata gentis corpora: hebetes: pauidosque animos reddidere. Et quos diutissima bella inuictos praestiterant: mollis vitae licentia superauit. Quamobre summis viribus & claro ingenio natum esse: licet egregie laudis fundamentum sit: ea tamen



laus (quæ n̄c sunt libertatis) industria & virtute perficit̄. Si itaq; prouinciarū cōmendatio non modo aliarū rerū estimatiōe: sed ex hominū maxime natura & moribus pendēda est: in toto terrarū ambitu mortalib⁹ habitato nostra hispania prouinciarum regina iudicabitur. Quæ inter galliæ frigora & ardores aphyricæ tēperata/mira cœli clemētia foelicē auram plantis & animātibus inspirat. Et quāuis hodierni instituti ratio mentionē de hispaniæ laudibus iubeat esse breuissimā: quis tamen cōceptū sermonem tenebit? Quis inter hispanos poterit hispanæ nationis in bello fortitudinē/ perspicacitatē in litteris/ in superos pietatē omnino tacere? Gens hispana nature beneficio sublimi aīo prædita/patiēs laborū/ gloriæ cupidissima/nō dolo vincere: quum possit: sed virtute nititur. Vnde si quando superari se prælio aduerso viderit/nō capi neq; fugere solita: verū furibunda/ ferox/ ignita magnā victoriæ partē existimat/cruentā hosti victoriam relinquere. Taceo inexpugnabiles Saguntinos/ Celtiberos omitto/ & truculentissima Numantiæ bella prætereo. Hoc sit dumtaxat hispanæ fortitudinis argumentū/aduersus hispanos (vt Florus inquit) a populo Romano orbis principe ducētos prope annos fuisse bellatū. Ideoq; hispanos tum reb⁹ bellicis/tum magnificentia animi toto orbe celebres ad magnos quondam honores virtus euexit. Neruam Traianū/ Adrianum helium Roma hispanos Imperatores habuit. Constantinopolis autē Theodosio seniore/ Archadio/Honorio/ac Theodosio iuniorē hispanis imperatorib⁹ gloriatur. Sed nec ab antiquo illo militiæ splendore tēpestas nostra degenerat. Quæ duos Ferdinandos Regem & ducem omnium principum: quos Europa celebret: inuictissimos protulit. Quorum gesta quæ oculis nostris cōspecta sunt/supra morem humanum foelicissima vix futuris sæculis credi poterunt. Eoq; sublimior vtriusq; Ferdinandi gloria/ q̄ alterū sine altero esse non deuit. Neq; em̄ tātus Rex alio duce vti/neq; sub alio rege dux tantū militare debuerat. Vt tñ vrgēte tēporis angustia/ceteros pene innumeros qui Martis gloria claruerunt hispaniæ viros taceā: qui sunt q̄ nostra ætate Mahometicos Granata: qui Neapolī & Cantabria Gallos ppulsarūt: hispani. Qui sūt q̄ indigenas populos veluti alteræ mūdū summis quidē periculis inuentū n̄o imperio subiugarunt: hispani. Qui sunt qui Magnū portum/ Acram/ Algeriū/ Bogiā/ Tripolim/ aliosq; portus aphyricæ debellarunt: hispani. Hispanos potissimū formidat immensa Asia & Aphyricæ



paganorum multitudo. Hispanos habet Sedes apostolica para-  
tos semper Christiani nominis defensores & ad omnia iussa pro-  
ptissimos. Tantoque belli studio hispanus sanguis agitur: ut nisi  
parato quotannis exercitu leonin<sup>9</sup> ei<sup>9</sup> feruor excurrat ad exteros:  
in propria illu viscera conuerti necesse sit. De hispanis vero qui  
post memoriam hominu litteris floruerunt: quid dicam Patres sa-  
pientissimi? In finitum esset sine dubio illoru sola nomina recense-  
ri. Sufficit esse perspicuum/ hispaniam nram genuisse poetas eloque-  
tissimos/ oratores tulisse/ historicos peperisse/astrologos/medi-  
cos/ iuriconsultos & barbatos theologos produxisse. Et eos  
quidem non modo fuisse sapientissimos: sed etiam editis a se libro-  
rum voluminibus: tum doctrinae suae testimonia reliquisse: tum  
de toto genere humano fuisse benemeritos. Quare in tanta bo-  
norum affluentia: quibus hispania diuino fauore donata conspi-  
citur: unicum ornamentu paulo ante defuerat: ut ingeniarum  
artium & theologiae facultatis exercitatio non aliunde nobis  
esset mendicanda: sed in media hispania exactissime traderetur.  
Quo coelesti beneficio ne diuti<sup>9</sup> careret hispania: foelicis memo-  
riae Cardinalis noster & conatus & adeptus est. Cuius sane tanta  
fuit in culto diuino & pro communi utilitate largitas/ tanta cura/  
tam indefessus animus: ut praeter impensam quotidie plusquam  
trecentis litterarum sectatoribus alimoniam: praeter exquisitos  
toto orbe linguarum/ artium/ Medicinae ac Theologiae celeberr-  
imos praecipuos: hoc gymnasium pulcherrimum: ditissimu:  
memorable condiderit. Ad quod secuti perpetuum & opulentis-  
simu emporium omnes doctrinae cupidi ex vniuersa hispania  
& ab exteris etiam nationibus confluunt. Vnde mox futurum  
speratur: ut hispania nouo quodam lumine decorata: priscam  
exuisse barbariem gloriatur. Iamque caetera hispaniae gymnasia  
inficiari non possunt: se quantum ad artes/ medicinam & Theo-  
logiam pertinet: huius academiae doctoribus & exercitio super-  
ari. Quin & Gallia doctrinis foecundissima si hispanos nostros  
antehac docuisse iactatur: statim poterit fauente caelo pari ab his-  
panis munere decorari. Te itaque Proantistes magnificentissime  
per ossa (quae iurare soles) diui nostri Cardinalis obseruandissi-  
ma: per egregiam opinionem quam ille de tuis virtutibus sem-  
per habuit: qua te ad soluenda conscientiae suae onera delegit: qua  
clientes suos tibi protegendos & hos sapientiae fontes irriguos  
tuo fauore amplificandos commendauit: obtestamur: ut quod



ic est re=  
rendus  
Magister  
Jannes  
Oration  
angulo.

de tua illustri nobilitate speratum est: hanc vniuersitatem: quæ  
est illius nostri quondam domini factura: quæ est totius hispa-  
niæ fulgor eximius: cures esse florentissimam. Tibi etiam pro-  
uidentissime Rector supplicamus: vt quod tam egregie incæpi-  
sti: hanc eruditę gentis rempublicam ad intentionem diuini fun-  
datoris instaures. Si memneris quantum & quam merito te illu-  
strimus Cardinalis noster amabat: si nobilitatem tuam: si doctri-  
nam insignem: si nitidam famam: si deniq; tui Rectoratus diu-  
nam sortem confyderes: facile omnia virtuti contraria superas-  
bis. Hæc sunt æquissime Rector: quæ fortunatos dies: te nobis  
Rectore: pollicentur. Video expectationem vestram: Patres co-  
lendissimi: & ora vestra in me directa conspicio. Miratur forsan  
dignatio vestra quorsum hæc tam multa præfatus sim. Verum-  
enim vero quando magnitudinem hispaniæ nostræ: quando  
Cardinalis nostri sanctitatem & vniuersitatis huius clarissima  
ornamenta repeto: nonne hosce quattuor insignes bachallarios  
effero? Nonne hi sunt hispani? Nonne huius academiæ alumni?  
Nonne hæc domus eos collegas sortita gloriatur? Et quos collegas  
obsecro? Studiosissimos vtique/peritissimos/honoratissimos.  
Quales ad huius probatissimi Collegii decus & incrementum  
conueniebant. Quos manu sua fundator sanctus elegit in hære-  
ditatem sibi: quorum virtutem cognouit: quorum ingenia com-  
mendauit. Eruditionem vestram spectatissimi bachallarii: ac tol-  
leratos pro sapientia labores æquant pauci/ omnes mirantur.  
Communiquē iudicio definitum est: vos quattuor esse vsq; adeo  
pares in doctrina: vt inter vos aut nullus quidem ordo sit futu-  
rus: aut certe incogitatus & propter formam dumtaxat: vt con-  
stitutionibus pareatur. Longamini fuistis/seruastis fidem/cure-  
fun consumastis/ tempus est: vt quietis solatia consequamini.

Discest. D.  
etrus & ler  
ia burgē  
s. Doctor  
arisiens.  
Abbas  
Copluteñ.

Quapropter huius almæ vniuersitatis Cancellarius meretissi-  
mus: quem nostræ tempestatis insigne decus merito appellaue-  
rim: sudores vestros/vigilias/mores honestissimos ac doctri-  
næ vestræ nitorem cognoscens/mittit me ad vos: vt laborum  
præmia iam destinata vobis ac propediem futura denunciem.

Ad reuerendum magistrū Franciscum Fontanū Murgitanū.

Te imprimis alloquor Fontane peritissime: cuius si pueritiam  
& adolescentiam bonis artibus occupatas memorem: si quo pa-



Et de virtute in virtutem creueris velim repetere: dies me prius  
q̄ sermo deficiet. Nam primæ artis documenta cōsecutus adeo te  
musis altioribus virilem præbuiſti: vt in artium licentiis: quas  
hoc gymnasium primas celebrauit: iter multos doctissimos: quæ  
tecū competere: tu primus fueris doctrina & acumine iudicatus.  
Quāobrē apposite profecto ille locutus videtur: qui te ingenuarū  
artium priogenitū dixerit. Quod si tentē dicere: quātū in sacra theolo  
gia sis adeptus: videbor in re manifestissima velle frustra orōnē cō  
sumere. Quū. n. iā dudū: si tibi cordi fuisset: potiri theologico do  
ctoratu in hac vniuersitate potuisses: nunc augmentato plurimū  
doctrinæ tuæ peculio: quis nō videt ad gradum tibi litteras super  
esse? Accedit litteris egregia deuotio tua & salutis animarū pectus  
amantissimum: quo te docendis populis exhibens: non vis lu  
cernam tuam esse sub modio. Vtq; multa de te cōmendatu dignis  
sima præteream: illud tuæ probitatis ac sapientiæ testimonium: q̄  
Reuerendissimo Cardinali nostro fueris specialī quodam modo  
acceptissimus. Sed quū alio te liberrimus animus duceret: & Col  
legium & doctoratū & Cardinalis promissa magno animo reli  
quisti. Post/ubi votis tuis rerū euentus obstitit: ad hanc vniuersi  
tatem bonorū altricē regressus: magna omnium læticia receptus  
es. Ideoq; fortuna in te vno virtutū paruisse cognoscitur: quia quo  
cunq; diuertisti: te sola virtute contentum dextera semper fortu  
na secuta est. Nam pleriq; mortales: vt rerum potiant: curis mor  
dacibus æstuant: amicos venerantur obsequiis: fatigāt superos  
& se se tandē casso labore discruciant. Tu vero securus & cōmissa  
deo sollicitudine/nō hominum: sed diuino munere Canoniciatus  
honorē possides. Qui vsq; adeo digne tibi collatus est: vt iudica  
ri nō possit: an plus tibi ista dignitas ornamentū: q̄ tu illi gloriæ  
præstiteris. His meritis obseruadissimus Cancellarius annuente  
sacro theologorum cōuentu debita tuis litteris præmia largitu  
rus: hac epistola te hortatur: vt crastina luce compareas.

Magister Francisce Fontane compareatis die crastina hora de  
cima in ecclesia sanctorum Iusti & Pastoris licentiam in sacratissi  
ma Theologiæ facultate deo fauente suscepturus.

Ad reuerendū Bachallariū Ioannē Versosam Turrilacunenē.

Si aliquādo mihi opportuna fuisset Ciceronis eloquētia: Ver  
sosa doctissime; nunc proculdubio est maxime necessaria. Tam



digna sunt. n. quæ de tuis reb<sup>9</sup> dici debere intelligo: vt ea nō aliter  
q̄; sublimi eloquio prodi mereatur. Quas & si nō potest incult<sup>9</sup>  
sermo noster extollere: sunt tamē ille adeo passim cōmendatæ: vt  
nræ orationis ope nō indigeant. Compertum habeo Versosa cō  
sultissime splendorem patriæ tantum ornamentī studiosissimis  
viris: quantū ignominie malis afferre. Quocirca te multis orna  
tissimum: illud quoq; reddīt insigniorem: q̄ eadem qua benefi  
centissimus Cardinalis noster scelici patria natus fueris. Quod  
nisi quiddā magnæ dignitatis esset: nō tot mortales vellent: si fie  
ri posset: cum Alexandro magno vel aliis illustribus viris cōmu  
nem habere patriam. Scio natale solū seipso nihil ad liberas ani  
mi virtutes efficere. Sed multum sane conducit: tum ad magnitu  
dinem gloriæ: tum ad virtutis imitationē posse cōpatriotam di  
cere fundatorem vniuersitatis huius amplissimum. Cuius si no  
men immortalē/ si clarissima gesta veneramini patres: certe non  
potestis homines illi coniunctos non amare. Si ipse Cardinalis  
adesset proceres: credite dicturum vobis. Si me diligitis filii: hūc  
quoq; diligite cōterraneum meum: hunc obseruari iubeo: hunc  
magnipendī desydero: in quem multa beneficia: si mihi vita diu  
tior: collocassem. Quod si ego vestri amantissimus vobis totiq;  
hispaniæ profui: vos quoq; nobilitate vestra meminertis/ meis  
rebus: meis propinquis acciubus benefacere. Hæc ille diceret.  
Tu autem Versosa dignissime/ Cardinali nostro non patria solū  
coniunctus: sed rectissimo etiam zelo persimilis: annuo rectorati  
prudentissime functus es. Ad quem non ambitione: sed visa ani  
mi tui moderatione prouectus: quæ de tua sinceritate/ cōsilio/ mo  
destia credebantur plenissime confirmasti. Nam inter medios flu  
ctus & periculosa illa tempora firmo æquitatis temone transisse:  
consyderatissimi rectoris & maturi ingenii probatio fuit. Tales  
rectores esse rebus publicis vtilissimos Plato sentiebat: in quibus  
tum demum beatum terrarū orbem futurum: quando sapientes  
regnare aut reges sapere cepissent. Istavero qua cōmēdaris sapien  
tia: tum ex natura tibi: tum ex litteris fluxit. Quippe qui post in  
genuarum artium vigilatissima studia: in vtriusq; theologiæ mi  
litiā clarus euasisti. O bene actam etatē tuam: cuius ne momentū  
quidem esse voluisti: quod in laudatissimo exercitio non expen  
deris. Euge miles emerite: q̄ parta vario labore victoriā iure belli  
laurea dignus es. Qua te sapientissimus Cācellarius approbāte  
doctorū Consilio statuit insignire: quod his litteris intelliges.



Bachallarie Ioannes Versosa cōpareatis die crastina hora decima in ecclesia sanctorum Iusti & Pastoris licentiam in sacratissima theologię facultate deo fauente suscepturus.

Ad reuerendū Bachallariū Petrū de Círia Turíassonēsem.

Sí vbi rerum testimonia desunt: nihil opus ē verbis: eruditissime Círia: multo minus cōmendatione opus est: quando virtus hominis lucet apertissime. Sed quoniam res tuas non omnino taciturus accessi: dicā sane pauca licet manifestissima: vt ea magis retulisse: quā excogitasse conperiar. Qui vitę tuę modestiam considerant: vir peritissime: illud imprimis admirantur: quibus precipue artibus efficias: vt inter tot & tam varios affectus hominum nullus sit in hoc preclaro gymnasio: qui te non vehementer amet. Id paucis tributum certo scio nō posse aliunde: quā ex innata quadam vel certe rara virtute tua proficisci. Nulli infestus: omnibus acceptissimus: in solo virtutis & doctrinę studio delectaris. Quarum suauissimis flammis accensus: per summa salutis ac vitę pericula: dies: noctesque in perquirenda veritate consumens: vulgo crederis nō in cubili sed inter libros moriturus. Et quę raro sociantur: sapientiam cum humilitate & acumen ingenii cum diligentia possides. Verum vt studiorum tuorum fertilitatē expressius memorem: sciunt omnes: te ex Salmantino gymnasio venisse prouectissimum. Deinde huius limatę vniuersitatis exercitamenta sectatum: congestas doctrinę opes miris incrementis auxisse. Neque sine tuarū litterarū certissimo testimonio per sacros theologos Alphonsinarum Prior electus es: facturus: quod profecto fecisti: in tam honorata puincia: vt quę de tua insigni eruditione fama testabatur: re ipsa vberrime demonstrares. Spectaculo dignum erat videre: quando tu prior argutissimus contra Alphonsinas conclusiones inuectus: nō tam argumenta de ore tuo quā flagrantissima fulmina iaculari videbaris. Terrebar ego: fautor: acrimonia tua: quando me altis clamoribus & argumentorum lanceis oppugnabas. Nec in tanto sapientum confessu tenebare: quin de thesauro sapientię tuę proferens noua & vetera: tum docti tum exercitati hominis signa præstares. Quare huius Academię Cancellarius vt est erga omnes litteratos beneficentissimus: dignā tuis laboribus ac virtute coronam se tibi cras daturum pollicetur: hoc epistolio.



Bachallarie Petre de Círia compareatis die crastina hora decima in ecclesia sanctorum Iusti & Pastoris licentiam in sacratissima Theologiae facultate deo fauente suscepturus.

Ad reuerendū Magistrū Ioannem de Medina burgensem.

Dícturus quæ de laudum tuarum splendore concipio: Medina subtilissime: nihil difficilius habeo: quàm exordium inuenire. Dum enim inter infinita disquiro: unde potissimum incipiā: inopem me copia & ambiguum tatarum laudum facit abundantia. Qui te forinsecus intuetur: benignū: affabile: natura & moribus facilem comperit. Qui vero animi tui lustrat penetralia: miratur potuisse te supra ætatem istam tot bonis artibus ac scientiis illustrari. Cæterum quibus contingit primam sedem in licentiis obtinere: non nisi præuiis laboribus: anxii & cogitabundi comitia præstolantur. In tuis vero artium licentiis illud singulare quod ante publicatum ordinem nemo de tuo primatu dubitarit. Unde tuarum virtutum ac doctrinæ præconio factum est: ut vltro venientibus ad te ex omni parte suffragiis: artium regentiam & facile fueris & meritissime consecutus. Sed an prospero discipulorum cursu fungaris officio: loquatur experientia. Quippe discipulos habes non solum multos: verum doctos etiam ac diligentissimos. Quos tua dulci consuetudine ita tibi reddis obnoxios: ut te non secus parentis ac magistri loco venerentur. Ultra enim id quod nunquam te illi varium: neque imperiosum: neque petulantem sensere: habent in te non modo artium liberalium: sed honestatis quoque ac modestiæ præceptorem. Honesti: solertes: compositi: prorsus ut verum sit illud veritatis adagium: bona arbor bonos fructus facit. Hæc autem bona quæ in te sita conspiciamus licet magna sint & possint quemuis amplissime decorare: exigua tamen videbuntur: si sublimiores animi tui dotes exprefero. Nam inter ornamenta quæ ab initio ætatis ad inuidiam usque parasti: præluce in te perinde ac ditissima gemma theologicæ profunditatis intelligentia. Qui enim tuis actibus interfuerunt se: nihil subtilius unquam: nihil splendidius vidisse testantur. Resolute declaras: arguis vehementer: cautissime respondes. Nihil tibi deesse video: quod in consumatissimo viro postuletur. Et in his quidem referendis assentator videri metuerē: nisi præstantissimo cætui perspicuum esset: bona tibi longe plu



ra superesse: q̄ exāguis oratio nostra tetigerit. Quorum habita-  
ratione placet cōsultissimo Cancellario: vt quod iam pridem exo-  
ptas/ quodq; tua singularis & p̄bitas & doctina merent: crastina  
die lætus accipias. Quod ita futurū hæ litteræ demonstrabunt.

Magister Ioannes de Medina compareatis die crastina hora de-  
cima in ecclesia sanctorum Iusti & Pastoris licentiam in sacratissi-  
ma Theologiæ facultate deo fauente suscepturus.

Finis.

Nicolai de Pax tetrastichon de prædictis quattuor licentiatis.

Quis fuerit quartus: quis primus: quisue secundus  
Aut ternus nolo dicere: dico tamen.  
Ordine tam gratis variato carmina docti  
Cognoscent aliter me potuisse loqui.

Epigrāma eiusdē Nicolai: in quo populus Maioricēsis introdu-  
citur alloquēs beatissimā Praxedē: qñ celebrata quotānis cōsue-  
tudinē & p̄cedēte vniuerso pp̄lo sc̄m corp⁹ ei⁹ per urbē vehitur.

Reliquias o diua tuas: mundissima quondam  
Hospite tam mundo digna alabastra deo  
Omnes prosequimur solenni more per urbem:  
Et tibi Praxedis pectora nostra damus.  
Tu martyr studio proprii sitibunda cruoris:  
Tu decus angelicæ virginitatis habes.  
Prona ministeriis inopum generosa virago:  
Et tua mendicis semper aperta domus.  
Ampla tribus patrum præbes alimenta galeris  
Quo te perpetuo nomine Roma sonat.  
Parrhisios Roma: baleares inde migraſti:  
Corpore felices credimur esse tuo.  
Tu precibus patrona tuis instantia nobis  
Damna: luem: coelicaumata: bella preme.  
Da similes fieri sanctis: optare resolui:  
Interea soli viuere velle deo.

Impressum Compluti: opera ingeniosi chalcographi Arnaldi  
Guilielmi Brorarii. Anno salutis humanæ. M.D. XXI.



...  
...  
...  
...

...  
...  
...  
...

...  
...  
...  
...

...  
...  
...  
...

...  
...  
...  
...

...  
...  
...  
...

...  
...  
...  
...

...  
...  
...  
...

...  
...  
...  
...

...  
...  
...  
...